

Simili modo extrahuntur

Mucagines Lini,

Fœnugræci,

Cydoniorum,

Gummi Tragacanthi,

tum aliorum seminum, fructuum, & radicis Althææ, sectæ prius & elixatæ.

SIMPLICIUM PULVERATIO ET LAEVIGATIO.

Præparatio limaturæ ferri.

R. Limaturæ ferri splendentis, nitidæ, & a sordibus purgatæ, quantum volueris, supra porphyritem sine aqua lævigetur, donec redigatur in alkool.

Præparatio oculorum cancrorum.

R. Lapidum Cancrorum genuinorum, quantum volueris. Aqua fluviatili calente pluries in die renovata ablue; idque per plures dies repete, donec fere nullus in eis deprehendatur odor.

Exsiccatos tere subtilissime in mortario ferreo vel marmoreo. Posthac supra porphyritem agita, instillando identidem aquam communem, usque dum in pulvem tenuissimam lævigentur. Effinge Trochiscos in umbra siccandos.

Simili modo præparabuntur

Testacea,

Coralla.

Præparatio margaritarum.

R. Margaritarum Orientalium, quantum volueris. Aqua fluviatili calente semel, aut iterum ablue. Exsicca. Tere, & supra porphyritem læviga.

A 4

Simili modo præparatur.

Succinum.

Præparatio fragmentorum lapidum pretiosorum.

Fragmenta pretiosa aqua ablue. In mortario ferreo, non vero æneo, pistillo ferreo, in pulverem crassiusculum comminue; super chartam pulverem expande, & Magnetis ope ferri particulas inter pulverationem abrasas extrahe. Tum supra porphyritem in pollinem redige, & Trochiscos effinge.

Præparatio putaminum ovorum.

℞. Putaminum Ovorum, quantum volueris. Cum aqua primum leviter & diu conquassa: deinde aqua plurima ferventi multoties elue; ita ut omnes membranullæ aquæ innatantes cum aqua decantentur, remanentibus in fundo solis putaminibus, quæ siccata in mortario marmoreo pulverentur, dein super porphyritem lævigentur, & in Trochiscos formantur.

Præparatio antimonii.

℞. Antimonii Hungarici in mortario ferreo pulverati, quantum volueris. Supra porphyritem leviga; dein cum aqua multa permisce & agita. Aquam, cum turbida fuerit, decanta, & in vase idoneo repone. Superstiri materiæ iterum aquam affunde, tere, & aquam turbidam super priorem effunde; idque toties repete, donec totam materiam alkoolisatam exhauseris. Tum aquam omnem effusam decanta, & Antimonium in fundo vasis remanens, exsicca & serva.

Simili modo præparentur.

Cinnabaris,

Magnes,
Lapis Hæmatites.

Præparatio lithargyri.

Lithargyrum pulveratum, cum aqua plurima tere in mortario ferreo. De reliquo ad lotionem procede ut in præparatione Antimonii.

Simili modo præparentur.

Boli,
Calces,
Cretæ,
Margæ,

Pulveratio cornu cervi.

℞. Cornu Cervi integri, quantum volueris. Scobina derade. Scobem tere in mortario. Trajice per sericeum. Pollinem serva.

Simili modo pulverantur.

Ebur,
Pes Alcis.

Præparatio cornu cervi philosophica.

℞. Apices Cornu Cervi, quot volueris.

Mitte in vas idoneum. Affunde

Aquæ communis quantitatem sufficientem.

Vase ritè obturato bulliant, donec exterior pellicula scalpello facile detrahatur, tum medulla quoque extrahatur. Quibus demptis, apices sicca.

Fœcula bryoniæ.

℞. Radicis Bryoniæ recentis, quantum volueris. Quassa in mortario marmoreo. Excipe sacco canabino. Prælo exprime. Succus in vase vitreo reponatur. Paulatim subsidet, amyli instar, fœcula, decantato liquore, in umbra exsiccanda.

A 5

*Simili modo parantur.*Fœculæ Ari,
Ireos, &c.

SIMPLICIUM USTIO.

Alumen ustum.

℞. Aluminis crudi, quantum volueris. Mitte in patinam ferream vel fictilem non vitratam. Igne nudo calcina.

Plumbi calcinatio, *unde calx plumbi.*

℞. Plumbi crudi, libram unam. Inde patellæ terrea non vitratæ. Patellam pone super carbonibus accensis, ut plumbum liquefiat. Rudicula agitata, abibit in pulverem subnigrum, & erit plumbum ustum. Si continuetur ignis, pulvis evadet flavus.

Spongiæ ustio.

℞. Spongiæ nondum in usum vocatæ, in clibano exsiccata, & ab arenulis repurgatæ quantum volueris.

Crema igne aperto per horam in olla fictili cooperta non vitrata. Pulvera, & serva.

*Non ab simili modo uri possunt.*Pili Leporis,
Pila marina,
Hirundines,
Bufones,
Cancri fluviatiles,
Talpæ.
Erinacei,
Limaces.